N. 4133.

CURRENDA XIV.

A. D. 1869.

Nr. praes. 144.

NOS

JOSEPHUS ALOYSIUS
Liber Baro Pukalski

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPUS TARNOVIENSIS

Suæ Sanctitatis Prælatus Domesticus, Solio Pontificio Assistens, Comes Romanus,

Eques c. r. Ordinis Coronæ ferreæ II. Classis, Commendator Ordinis c. r. Austr. Francisci Josephi,

Membrum Comitiorum Regni Galiciae, Præses Commissionis pauperum Tarnoviæ...

&c. &c.

Salutem et Benedictionem a Domino!

Ineffabili Dei gratia et misericordia, per Cathedram Sancti Petri et S. Ecclesiam Romanam omnium ceterarum in orbe ecclesiarum Matrem, in universum genus humanum descendente, copiose repletus et munitus Summus Pontifex Romanus Pius IX., saluti et incolumitati totius ac universi gregis christiani unice intentus, **Concilium universale** Romae celebrandum et 8. Decembris 1869 inchoandum decrevit et indixit, quod jam litteris Nostris de

3. Augusti 1868. (Curr. XVIII.) et iterum de 10. Maji 1869. (Cur. VII.) occasione annunciatarum hoc obtutu indulgentiarum vestrae notitiae tradidimus.

Die jam praelaudato 8. Decembr. a. c. approximante, itineri sacro ad Limina Apostolorum Nos accingimus, et eligentes Nobis socium itineris S. Theologiae Drem Laurentium Gwiazdoń Canonicum cathedralem gremialem, et Camerarium secretum Suae Sanctitatis, die 14. Novembris 1869. circa meridiem via ferrea Tarnovia discedimus. Pridie i. e. 13. Nov. a. c. Excellentissimus Dominus Franciscus Xaverius Wierzchlejski Archiepiscopus rit. lat. Leopolitanus, Excellentissimus Dominus Szymonowicz Archiepiscopus Armenorum Leopolitanus et Illustrissimus ac Reverendissimus Antonius Manastyrski Episcopus Premisliensis Tarnoviam advenientes, in aedibus Nostris hospitium et parvam quietem capere dignabuntur atque die sequenti, ut supra dictum est, omnes simul iter hoc sacrum sumus aggressuri.

Quanti momenti res sit, quae Nobis iter hoc Romanum injungit, sufficit simpliciter memorare **„Concilium generale“** seu **„eocumenicum“** quod universam Ecclesiam repraesentans necessitatibus et indigentiis Ecclesiae catholicae per universum orbem dispersae provideat et satisfaciat. Magni momenti autem, multifariaeque sunt nostris temporibus indigentiae et necessitates Ecclesiae, quam non tantum adversariorum conviciis, probris, calumniis undequaque misere obrui, verum eo gravius quod etiam propriorum ast ad devia digressorum filiorum perfidis, astutis, perversisque consiliis affligi et in interioribus visceribus dilaniari cernimus, qui persaepe veluti lupi rapaces pelle agnina induti ovile Christi aggrediuntur, pacem charitatemque in ore ferentes, quum tamen principales sint odii, invidiae discordiaeque protervi disseminatores.

Horum omnium opera et machinationes evenit, ut Ecclesiae Catholicae auctoritas, splendor et decus, per decursum tot saeculorum sancte et caste **his in oris** custoditi, modo ore et scriptis impune petantur et in squalorem deducantur, ut cultus divinus et sacramenta, totidem salutis remedia risui et fastidio exponantur, ut pia ejusdem instituta sublimioris virtutis ac sanctitatis habitacula in dispectionem et contemptum trahantur, ut etiam principia morum honestatem custodientia, quibus virtus cujuslibet ac singuli civis christiani, ac totius ordinis publici fundamentum insistit labefectentur, ut mores et vita Christianorum pravo perversitatis dissolutionisque veneno inficiantur. Et quid demum dicamus de hac confusione mentium, quae circa doctrinam et fidem catholicam *de hierarchia ecclesiastica*, *de primatiali dignitate Summi Pontificis Romani*, *de Episcopatu*, *de sacerdotio*, *de relatione Ecclesiae et Civitatis &c.* permultorum fidem vel prorsus subvertit vel saltem eorum ingenia subdolis dubiis perterruit? Qui omnes infernales labores eo majus periculum inducunt, quando a talibus intenduntur, qui impio et effrenato ore se hoc non obstante Catholicos esse affirmare vel minime verentur.

Viget antiqua in Ecclesia consuetudo, quae a primordiis institutionis Ejusdem, et ab ipsis Apostolis originem derivat, ut nimirum inter atroces calamitates, inter angustias, inter scissionum fomenta, inter errorum audaciam et qualescumque seductiones et pericula, **communi Patrum et Antistitum Ecclesiarum consilio et sententia decideretur,** quomodo haec omnia pericula avertenda veniant, quid porro in **diversitate sententiarum**

ceu depositum genuinum Jesu Christi, quidve illum egregium doctrinae et mysteriorum divinae revelationis **thesaurum** constituat, qui per continuam et ininterruptam Apostolorum in Episcopatu successionem in vase bono asservatur, qui nunquam veterascit, et ipsum quoque vas in quo reconditur juvenescere facit. (S. Irenaeus.) Hic iterum Apostolatus seu Episcopatus nonnisi cum Vicario Jesu Christi Visibili et Successore S. Petri, Pontifice Romano unitus, Magisterium isthoc infallibile seu vas eximium juxta S. Irenaeum efficit, quod de deposito fidei et integro thesauro revelationis divinae omni tempore testimonium dicit, quotiescumque id necessitas salusque Ecclesiae ac integritas fidei exposcit. Quis autem est qui in praesentiarum dubius haereat, talem necessitatem vel maxime urere, qui praelaudata supra pericula et inimicorum Ecclesiae molimina saltem obiter consideraverit?

Quum igitur Sanctissimi Patris Nostri Pii IX. mandatis morem gerentes et officiorum Nostrorum in pascendo grege Nostrae Curae concredito memores, Romam proficiscimur ad Concilium generale, relinquimus Vos Venerabiles Fratres! sed relinquimus Vos tantum corpore, spiritu enim semper Vobiscum manemus. Interim autem Vos omnes ac singulos in Jesu Christo hortamur et obsecramus, ut in avita fide catholica, venerationeque et obedientia erga S. Matrem Omnium Ecelesiarum, Ecclesiam Romanam perseveretis. Mementote verborum S. Pauli: „Itaque fratres state, et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem sive per epistolam nostram. Ipse autem Dominus noster Jesus Christus, et Deus Pater noster, qui dilexit nos et dedit consolationem aeternam, et spem bonam in gratia, exhortetur corda vestra et confirmet in omni opere et sermone bono.“ II. Thessal. II. 15—17. Quum enim Patres Ecclesiae Romae congregati summi momenti negotiis ecclesiasticis decidendis detinebuntur, quis Vestrum dubitaret, quanta astutia et fallacia inimici Ecclesiae insidias Vobis struere minime verebuntur, ut calumniis, sophismatibus, terrore, et si haec in cassum adhibuerint, etiam adulationibus, mendaciis, contortis argumentationibus Vos ad suas partes seducerent, ut ait Psalnista „Narraverunt mihi iniqui **fabulationes,** sed son ut lex tua“ Ps. 118. Has omnes tentationes forti animo superate. Praeprimis autem conscientiae vestrae id impositum habere volumus, ne ephemeridum publicarum impiis ausibus et hostilibus adversus Ecclesiam incursibus aures praebeatis, immovero inde jactata venenosa tela a fidelium mente et corde avertere fortiter adlaboretis. Jam hocce tempore quando materia consultationum in Concilio futura, adhuc in occultis tenetur, quo provide hisce hiantibus inimicis occasio et ansa adimeretur, Ecclesiam cavillationibus petendi, et hoc non abstante effrenata horum et inquieta audacia jam in antecessum, non sine omni dolo et fraude occulta hucusque se penetrasse impavide adstruit, et **aërem verberando,** vanis, fucatis, ementitisque sermonibus omnem auctoritatem, salutem et efficaciam Concilii istius decisionibus adimere satagit. „Quia si in viridi ligno haec faciunt, in arido quid fiet“ Luc. XXIII. 31. „ Itaque ut verbis S. Pauli Vos alloquamur“ State ergo succincti lumbos vestros in **veritate,** et induti loricam **justitiae,** et calceati pedes in praeparationem Evangelii pacis: in omnibus sumentes **scutum fidei,** in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: et galeam salutis assumite et **gladium spiritus** quod est verbum Dei“ Ephes. VI. 14—17.

Qui enim sunt hi, qui populum fidelem ad se trahere, sacerdotes autem ad impias suas machinationes cogere intendunt?... Sunt homines effrenatis sensuum illecebris dediti, qui itaque omne et salutare honestatis morum frenum excutere intendunt et sub praetextu libertatis conscientiae, dissolutionem omnimodam disciplinae spiritualis praedicant, qui propterea disciplinae ecclesiasticae pertaesi, jam non solum ipsam religionem Jesu Christi, sed omnem prorsus religionem et fidem in Deum furibundi persequntur eamque eradicare volunt, qui quum ipsi cupiditatibus carnis irretiti omnem obicem suae perversitatis amovere satagunt, eo avidius Deismi et Naturalismi theorias arripiunt, quibus conscientiae vocem ita in suis internis, et in internis aliorum ad silentium redigere vellent. Si tantum hoc valerent. Sunt homines ambitione repleti et exclusivae dominationis cupidi, superbia inflati, qui proinde ejusmodi passionibus mancipati suo imperio omnes subjugare, et suis assertis veritatem conciliare desiderant, qui tantum imperare nunquam vero obedire didicerant. Quia vero omnes ejusmodi passiones nonnissi religio, pietas et timor Dei salubriter compescere valet; hinc inde derivantur hi omnes contra religionem incursus, ut nimirum plebem fide et religione exutam his suis pruritibus pronam et obedientem efficerent.

Quales autem sunt viae quive modi, quibus hanc tenebrarum cursum absolvere volunt? Utique et haec omnia conveniunt propositis, quae prosequntur. Non potest lux augere tenebras, nec veritas roborare errorem, nec virtus confortare flagitium; quid itaque miremini, si hostes contra Deum pugnantes cum inferno conspirent, ac proin si propugnatores erroris et omnis haeresis ad mendaria et frandulentas disputationis artes confugiant, si virtutis et sui abnegationis osores ad scandalorum sive verorum sive ementitorum calumniarumqne arma prosiliant, si populum fidelem religione et pietate exuere cupientes, virtutem christianam proscindant ejusque cultores fanatismi, pietismi, superstitionis et similium aberrationum arguant?

His et similibus nolite terreri: dixit enim Salvator divinus „Ego vobiscum sum omnibus diebus ad usque consummationem saeculi.“ Math. XXVIII. 20. Huic promissioni divinae conformiter Salvator mundi Ecclesiam snam inter qnaliacumque etiam atrocissima pericula tuebatur, quaemadmodum id Nobis e rebus gestis Ecclesiae per decursum novemdecim saeculorum sole clarius innotescit; hinc etiam Eandem et nunc non derelinquet orphanam. Idem Paraclitus quem Christus tempore Pentecostes in Apostolos suos effudit, semper viget in Ecclesia, et nunc Patres in Concilio congregatos adjuvabit. Hujus igitur Sanctiones et decreta laeto animo praestolemini, firmam spem in Deo collocando: omnes decisiones sanctionesque sacrae Synodi utpote adjutorio S. Spiritus munitas, saluti Ecclesiae, saluti vestrae, et saluti fidelium quam apprime consulturas; „haec spes enim non confundit.“ Rom. V. 5. Ut autem haec omnia fiant, „sine intermissione orate,“ I. Thes V. 17. et Vos dignum sacerdotis Christi exemplar exhibite, et non solum omnem cum regno tenebrarum communem laborem solerter evitate, ut monet S. Paulus „Nos autem, qui **diei sumus sobrii** simus, induti loricam fidei et charitatis, et galeam spem salutis“ I. Thes. V. 8. verum in omnibus ut filii lucis coram Deo ambulando, simul gregem Christianum vestrae curae concreditum ad Eundem Supremum Pa-

storem Jesum Christum fervente cum zelo ac pietate perducite. „Hinc rogamus vos fratres“ verbis S. Pauli „corripite inquietos, consolamini pusillanimes“ suscipite infirmos, patientes estote ad omnes“ I. Thes. V. 14. Tandem etiam pro Nobis orate.

In absentia Nostra Praesidium Consistorii Episcopalis cum eliberatione officiosorum negotiorum praecommittimus Illmo ac Rmo Francisco Szlosarczyk, Praeposito Infulato Capituli, Officiali ac Vicario Generali in Spiritualibus, cui Venerabilis Clerus debitam exhibebit reverentiam et obedientiam.

Gratia et benedictio Dei omnipotentis sit cum omnibus Vobis.

Dabamus in Palatio Nostro Episcopali

Tarnoviae die 5. Novembris **1869.**

Nr. praes. 130.

Sub 9 Augusti 1869 Sanctissimus Papa Pius IX ad preces Ipsi substratas, concessit Nobis ad proximum Quinquennium facultatem, onera Missarum persolutu impossibilium ad rationem eleemosynae manualis reducendi.

Licet hucusque precibus singulorum A. R. Curatorum annuere, et opportunitati Ecclesiarum ab ipsis rectarum, reductione oneris Missarum pro posse consulere consueverimus, obveniebant tamen casus, in quibus reductionem expostulatam ob motiva canonica perficere non potuimus. Ne itaqne similes recurrant casus ordinamus, ut A. R. Curati in exarandis pro reductione Missarum libellis ordinem a. S. Congregatione Concilii statutum atque a P. Urbano VIII, Innocentio XII, nec non a Papa Benedicto XIV de Synodo Dioec. approbatum accurate observent, qui vero sequens est.

1. Si fundatio praeter Missarum onera etiam alia pia opera comprehendat et ob tenuitatem reddituum reductio expetatur, reduci possunt prius opera pia, deinde numerus Missarum.

2. Si Missae cantatae non haberent sufficentes redditus, reduci possunt ad illum numerum, qui celebrari poterit, habita ratione eleemosynae de praesenti vigentis in Diocesi pro missis cantatis, et quidquid superarit erogandum est in celebrationem Missarum lectarum.

3. Si fundatio praeter Missas cantatas etiam Missas lectas comprehendat, et eleemosyna pro cantatis magnam relictorum fructuum partem absorberet, fructus erogari debent in celebrationem Missarum lectarum, deleto onere Missae cantatae.

4. Reductio componenda est ad manualem, nimirum statuendum est, ut tot in posterum celebrentur Missae, quot celebrari possunt juxta eam quantitatem, quae vel ex Synodali taxatione vel ex recepta regionis consuetudine praestatur pro singulis Missis, quas fideles dietim, ad manus tradita sacerdotibus eleemosyna celebrari curant.

5. Juxta Conc. Trid. Sess. XXV C. 4 de Ref. stabilienda est semper in reductione Missarum commemoratio illorum defunctorum, in quorum favorem onera erant adimplenda. Haec commemoratio potest consistere vel in celebratione unius vel plurium Missarum, vel in solo Memento post consecrationem.

Hujus itaque supra propositi a S. Congregatione Concilii statuti modi, respectum habeant A. R. Curati in libellis pro reductione Missarum substernendis, et insuper exponant originem fundationis, a quo et quando facta, a quo Episcopo et qnando fundatio approbata, quale erat primitivum fundationis capitale, quales vicissitudines decursu temporum subierat, qualem modo importat censum, demtis omnibus expensis et tributis aerario regio solvendis. Exponant denique motiva, ob qua reductionem obligationum expostulant; reductionem enim tunc suscepturi sumus, si fundatio tenuem nimis redditum habet et Ecclesia nimis Missarum onere prematur. Tarnoviae die 6 Octobr. 1869.

Nr. 3704.

Sequentibus communicatur Venerabili Clero Dioecesano, resolutio S. Congregationis Rituum intuitu celebrandae festivitatis de Beatae Virginis Mariae Consolatione, quatenus eadem solemnitas a Sodalitate sub eadem titulo in Ecclesia canonice erecta agitur, pro notitia et directione, si nimirum ejusmodi sodalitas alicubi locorum erigeretur:

„Sanctissimus Dominus Noster Pius IX referente infrascripto substituto Secretariae Congragationis Sacrorum Rituum clementer deferens supplicibus votis Rmi Domini Jesephi Alojsii Pukalski Episcopi Tarnovien. benigne annuit, ut in Festo Beatae Mariae Virginis de Consolatione, quod a sodalitate sub eodem Titulo in Ecclesia N. N. canonice erecta agitur Dominica infra Octavam Sancti Augustini, unica Missa solemnis Deiparae de Consolatione pro Ordine Eremitarum Sancti Augustini approbata cani valeat, dummodo non occurrat Duplex primae Classis vel aliud Deiparae Festum: quando vero in eadem Dominica occurrat Festum Sancti Joachim indulsit, ut Festum Titulare memoratae Sodalitas ad insequentem Dominicam diem nempe Octavam Sancti Joachim transferatur non solum cum privilegio unius Missae solemnis propriae, dummodo non occurrat ut supra duplex primae Classis vel aliud Deipare Festum, sed etiam ad hanc Dominicam transtulit Indulgentiam Plenariam a sacr. mem. Benedicto Papa XIV. concessam in Brevi diei 15. Januarii 1750 dummodo tamen conditiones omnes pro eadem lucranda in dicto Brevi expressae adamussim adimpleantur. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae die 9. Septembris 1869.

C. Epus Portuen. et S. Rufinae Card. Patrizi (m. p.) S. R. C. Praefect.

L. 3896.

Z powodu nowego wydarzonego wypadku dowolnego zarządzania legatem i fundacyą pobożną przez księdza Plebana, a bez upoważnienia władz, Konsystorz biskupi otrzymał z Wysok. c. k. Namiestnictwa z dnia 13. Paźd. 1869 do L. 46327 zlecenie następującéj treści:

„...... Upraszam zatém Przewielebny Konsystorz, aby do wszystkich Plebanów własnéj dyecezyi wystosował w téj mierze pouczający okólnik, i polecił takowym pod surową odpowiedzialnością, aby tak co do otrzymanych już, a dotąd do wiadomości władz niepodanych, jako téż co do mogących w przyszłości powstać fundacyi, — bezwłocznie w drodze Przewielebnego Konsystorza c. k. Namiestnictwu doniesienia poczynili.

Lwów dnia 13. Października 1869.

Podając powyższe rozporządzenie do wiadomości Wielebnego Duchowieństwa, przywodzi się do pamięci, rozporządzenie tegóż Wys. c. k. Namiestnictwa, téj saméj treści z dnia 29. List. 1868 do L. 63467 ogłoszone w Kurendzie XXII. z r. 1868 str. 177 z upomnieniem, aby takiem samowładném postępowaniem i z pominięciem istniejących przepisów w sprawach w mowie będących, zarządy kościołów parafialnych nagany na siebie na przyszłość nie ściągały.

III Series Collectionem (maxime pro Missionibus) incipiendo a mense Julio 1869.

(Continuatio ad Currend. IX. ex a. 1869 pag. 70.)

N. 2762 pro Infantia Jesu 18 fl. e collectionibus in Staniątki. — N. 2809 e Klecza 17 fl. 10 xr. a. v. et quidem 6 fl. 50. xr. pro Stanisławów, 6 fl. 30 xr. pro ecclesia in Chochołów, 4 fl. 30 xr. pro Missionibus in Terra Sancta. — N. 2996. e Pogwizdów 4 fl. pro Sepulchro Jerosolymitano, 2 fl. 40 xr. pro Infantia Jesu. — N: 3085 pro ecclesia in Bojan 50 xr. a Curato in Jakóbkowice. — 3138 e Decanatu Wielopolensi 20 fl. pro omnibus Missionibus. — N. 3140 et 3141 e Decanatu Skavinaensi 2 fl. pro Infantia Jesu, 2 fl. pro Bonifacio. — N. 3282 e Decanatu Łącensi 13 fl. 30 xr. pro Missionibus. — N. 3557 e Decanatu Bobovaensi 2 fl. pro Missionibus.

Pro hisce donis summas agimus gratias atque hilaribus datoribus coelestem apprecamur benedictionem.

Sub uno vero Venerabilis Clerus salutatur, ne gravetnr populum fidelem sibi concreditum ad largas prŏ catholicis Missionibus adhortari collectiones, quum anno hocce 1869 tenuiora hoc sub obtutu horsum confluxere dona.

In Scholasticis.

L. szk. prot. 341.

L. 8083/R. S. K.

Okólnik do Przew. Konsystorzów obrz. łac.

Z przedłożonych Radzie szkolnéj krajowéj drogą konkursu siedmiu konwolutów rękopismów na wzory do uczenia kaligrafii polskiéj otrzymał elaborat p. Henryka Tarczyńskiego z Krakowa pierwszeństwo. Takowy składa się ze stu kart ułożonych stopniowo na cztery klasy. W skutek tego uznania polecono autorowi odrytowanie tych wzorów z oświadczeniem, że jeżeli to należycie wykona, to takowe zalecone będą urzędownie do używania we wszystkich szkołach ludowych w kraju.

P. Tarczyński odstąpił rękopism swój na własność p. Władysławowi Jaworskiemu księgarzowi w Krakowie, a ten przeprowadziwszy rysowanie wzorów swym kosztem, przedłożył je Radzie szkolnéj krajowéj. Rada szkolna uznawszy, że wzory rzeczone wartają być przyjętemi, poleca je niniejszym do zaprowadzenia i używania we wszystkich trywialnych, głównych i pedagogicznych szkołach.

Będą one do nabycia albo ryczałtowo po cenie 2 złr. w. a. za cały zbiór 100 sztuk, albo cząstkowo na pojedyncze klasy we wszystkich księgarniach i handlach trudniących się przedażą książek szkolnych i przyborów naukowych.

Dla wygody pp. nauczycieli wyjdzie nieco późniéj instrukcyja metodyczna do przeprowadzenia nauki kaligrafii; tymczasem mają wzory wspomniane i bez takowéj wniść w używanie, stopniowość bowiem ich układu zastąpi znawcom informacyę.

Przewielebne Konsystorze i Nadzory szkolne okręgowe mają o tém rozporządzeniu podporządkowane sobie szkoły trywialne i pensyonaty prywatne niezwłocznie uwiadomić.

Lwów dnia 10. Października 1869.

Podaje się do wiadomości z wezwaniem, ażeby Przewielebni Nadzorcy szkół i Rządcy Kościołów o tém rozporządzeniu dotyczące osoby uwiadomili.

E Consistorio Episcopali,

Tarnoviae die 5. Novembris 1869.

Josephus Alojsius,

Episcopus Tarnoviensis.

JOANNES FIGWER, Cancell. substit.

Tarnoviae, 1869. Typis Anastasii Rusinowski, Typographi Episcopalis. Impensis Consistorii.